

99 365



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-128024-p0002-7

DFG

DISPUTATIO
ETHICA
DE FORTITV.
DINE,
EX TERTIO ETHICORVM
ad Nicomachum potissimum de-
prompta
&
IN FLORENTISSI-
MO ACADEMIÆ WITEBER-
gensis Lycæo examini publico pro-
posita, præside

M. IACOBO MARTINI
Halberst. Sax.
respondente

REIMERO LIGARIO
Frysio.

Habebitur ad diem 6. Sept. in auditorio majore collegij no-
vi, horâ sexta matutinâ.

VVITTEBERGAE,
Typis M. Georgij Mullerj. M. D. XCV.



99 + 65

LADITIA HUONI

INDUSTRIAL CLASS

—ОДИ ОДИНАКОВЫХ СОСУДОВ СЛУЖАТ
ДЛЯ СВИДЕТЕЛЬСТВОВАНИЯ.

WALTER M. GOODALE, JR.

• 22. 8016 H

卷之三

ОИЯ АОИ ОИДАХИЯ

DISPUTATIO DE FOR TITUDINE.

I.



Loquentiae parens M. Tullius : honeste, inquit, vivere, nihil aliud est, quam cum virtute vivere. Ut itaq; honeste vivamus, & homines Angelicam conditio-
nem, hac doce, quæ jure recti & honesti mensura dici-
tur, nanciscamur, virtutem sectemur.

2. Virtutis enim, ut cum doctissimo quodam Philosopho loquar, ea est vis & facultas, ut ejus munere defuncti vivant, collocati in tenebris splendeant, depresso eleventur in Cœlum, ægri optimè valeant, pauperes veris divitijs abundant, servi sint principes, impotentes potentissimi, humiles reddantur sublimes, ignobiles nobiles, & tandem infortunati evadant Fortunæ potentissimi.

3. Nam quod Philosophus in specie de Magnanimitate pronuntiat, de universâ virtute affirmare non dubito ; eam nempe in excelsô loco sedere, sub cuius pedibus lubricam fortunam quasi captivam & jacentem videamus.

4. Virtute enim qui præditus est, nullo fortunæ flatu aut adverso, aut prospero, à viri boni officio discedat, illo enim non frangi; *bono viro* hoc vero non nimium æstuare solet.

5. *a* Vnde virtuosum Latini in se ipso teretem & rotundum, id est, *Satyr. 20.* æqualem atq; in se constantem dixerunt; Græci verò illustri & ve- *Plat. in*
nusta Metaphora τετράγονον quadratum appellârunt, hoc est, ho- *Protag.*
minem ex sese firmum, pollentemq; suis viribus, & undiquaq; *a-* *Aist. i. Et.*
deo virtutis præsidio fultum, & quasi basi & fundamento adeo fir- *c. 10. 3. Ret.*
miter innitentem, ut difficulter loco cedat, hoc est, ea, quæ vel re- *c. 11. Eras.*
prehensionem vel odium merentur, peragat. *in Chiliad.*

6. Qua ratione eundem similiter ὁρόμη, quod rectum sonat, di- *b*
xerunt, unde Stoicorum κατόρθωμα eleganti Metaphorâ à Geom. *Hesiod. 1.*
desumptâ deductum in confessio est. Quemadmodum enim in linea ἔγγ. Cic.
recta; ita etiam in viro bono omnia sunt æqualia. *de amic.*

7. *b* Ex quo optime vir bonus definitur, qui appetens omne hone- *Cam. 9.*
stum ut honestum, deditusq; omnibus justis actionibus, illarum *Eth. c. 4.*
quoq; causas intelligit & noscit, & ut Poëta canit :

A 2

Index 2.

myth. c. 20. Index ipse sui, totum se explorat ad unguem,
p. 117. Quid proceres, vaniq; ferat quid opinio vulgi,
4. p. 142. et Securus : mundi instar habens teres atq; rotundus.

9. c. ult. p. 8. a Vnde colilitur, virtuosum vel virum bonum non esse, nisi
1025. qui omnibus virtutibus sit praeditus. Nam, cum virtutes morales
non secus ac divinæ Gratiæ, quæ semper se amplectantur, & nun-
Alexand. quam separatae conspicuntur, insolubili nodo ligentur, incompa-
in 2. de an. rabili consensione & harmonia sibi mutuo respondeant, salutariq;
cap. 41. spiritu se invicem perficiant, altera absq; alterâ non erit. Quid enim
Plat. in est Fortitudo, si prudens, justa, temperans &c. non est? Deinde, si
Protag. non omnibus virtutibus vir bonus est decoratus, quomodo con-
itē de Reg. stanter omne honestum expertet?

in convi- 9. Ex quibus meridianâ luce clarus est, non tantum quid virtus
vio. in genere sit intelligendum, neq; unicam tantum excolendam esse.

Arist. 5. vel excoli posse: Verum ut in specie propriam cujusq; naturam
Eth. item perspectam & cognitam habeamus, necessum esse.

6. c. 13. 10. Verum enim vero cum omnia illa, ob summam rei excellen-
tiam & amplitudinem simul tractare planè ἀδύνατον videatur;
placet, missâ de virtutibus generali, deq; speciebus reliquis specia-
li doctrinâ, de FORTITUDINE, Virtutum potentissimâ (cum
per hanc, cum Magnanimitate, quæ eminens quædam animi for-
titudo dicitur, ut specie junctam, ad heroicam eminentiam, in qua
Viri Boni conditio maximè consistere videtur, elevemur) συγκέντησο
placidam, amicam & sobriam cum sobrie Philosophantibus insti-
tuere.

b. *Hom. il. D.* 11. b. Αὐδρεῖα igitur, si τὸ ἐτυμον spectemus ab ἀνθεψ est, quod dedu-
Xenoph. cunt Grāmatici πρὸ τὸ ἄνω, Vel ἀνώ expedio, perficio, unde αὐθηψ &
in Hiero- per Syncopen ἀνηψ magna perficiens, virili animo praeditus, fortis,
ne Hero- magnanimus &c.

dot. in Po- 12. c. Eadem planè ratione Cicero Fortitudinem κατ' ἔξοχην
lynnia, virtutem à Viro denominare non dubitat. Appellata est, inquit, à
c. VIRO VIRTUS, VIRI enim propria maxime est FORTI-
Libr. 2. TUD. Sic Terentius: d. Actoris, inquit, nobis VIRTUS restituit
Tu, quæst. locum, id est, FORTITUDO, quâ, toties etiam exclusus, ani-
d. mum in agendo non abiicit. Ita Fortitudo à Fortis, quod est, con-
In eunuch. stas, maximi & infracti animi, est. Quæ etyma nominis talia sunt,
ut facile rem ipsam nobis quam reddant commendatissimam.

N. Scilicet q. q. 13. Est
fentibus acc. Geas. E.

XIII.

a Est autem Fortitudo moderatio Formidinis & confidentie erga ea terribilia, quae ad salutem corporis pertinent, appetitui irascendi competens, ut inde honestae prodeant actiones.

ad Eud.

cap. 1.

b Fortitudinem Virtutem esse, facile demonstratur hunc in modum: Omnis virtus est habitus in mediocritate positus; οὐδὲν γὰρ μεσότης περιφέρει καὶ διάγεται. Ergo est virtus.

Cic. 3. offio.

2. Tusc.

qq. 3. Tusc.

qq. Plaut.

XIV.

Circa malum itaque, & quidem maximum & pulcherrimum, Mortem videlicet in bello appetendam τὸν θάνατον οὐδὲν φοβεῖσθαι quantum, quando & ubi oportet, timet vel non timet, confidit vel non confidit.

in Asina.

Hor. libr.

2. Serm.

Sat. 2.

b2. Eth. 6.

XV.

Nam licet quidem in alijs quoque honestis causis non recuset dicere, scrimina vitae & fortunaru Fortis, unde Cicero c: Magnitudinis animi, inquit, & Fortitudinis proprium est, nihil extimescere, omnia humana desplicere, nihil quod homini accidere possit intolerandum putare: tamen maximè ex ferro & flammâ Martis honorum petit: Illud enim mortis genus omnium terrible & formidolosum fama, æviternitatis lingua & tuba, propriè sequitur, & plus, attestante Seneca, honoris, quam periculi, plus glorie quam paenae habet.

XVI.

Non autem prepterea censendum, Fortis animum adeo in calorem & ferrum obduruisse, ut nullo plane timoris ictu concurti aut emolliri possit: Sunt enim plurima, quae metuere honestum est, & fortis timere debet, ut dedecus, infamia, clades patriæ, injusta vincula, & similia, in quibus non datur viribus locus: Hæc enim qui non timet, nec Fortis habendus, nec verecundus, nec probus, sed potius audax, improbus & impudens.

XVII.

Proinde Fortitudinem occupatam esse circa pericula mortis in Bello, probatur hunc in modum: Si Fortitudo confirmat animum contra terribilia propter bonum honestum; utique Fortitudo circa ea terribilia erit, in quibus, si decenter sustineantur, sumnum bonum & honestatem ginet. Atqui talia sunt mortis pericula in Bello. Ergo &c.

A 3.

Deinde

*Utrum Ferum, magis si Cubani forendiu aut antiopis
strenue toruicili.*

XIX.

Deinde Fortis is dicitur, qui mori potius eligit, quam aliquid turpe committere, atq; ita honestum amittere. Hoc autem tantum sit in bello vel communi vel privato. Ergo &c.

XX.

Tandem Fortitudo magis est circa pericula Mortis repentina, quam prævisa; in his enim magis Fortitudinis actus manifestatur, quippe cum difficilius sit non fugere à periculo repentino, quam præviso: tela enim, habet tritum adagium, prævisa minus feriunt. Vnde qui secundum rectam rationem in Bello mortem timet & audet, Fortis dicitur & est.

Arist. 3.

Eth. c. III.

Acciaj. in in confidentia.

cont. 37. et

39. 3. Eth.

XXI.

Versatur itaq; ἀνδρεῖα præsertim in Formidine, secundo loco

in confidentia.

XXII.

Quando in Formidine est Fortitudo duo habet extrema, aut enim ad parum fit declinatio, aut ad nimium.

XXIII.

Quando ad parum, vitium caret nomine: vocatur autem qui habitu illo pollet ἀνάλγητο id est doloris expers & μουνόπλυτος vel insanus, qui nullo plane movetur periculo.

XXIV.

Ad nimium vergens dicitur δελός ignavus, qui pluribus mox describetur.

XXV.

Quando versatur in confidentiâ, duplex quoque habet extremum, aut enim ad parum fit declinatio, aut ad nimium.

XXVI.

Ad parum qui declinat, dicitur δελός ignavus: Omnem enim Fortunæ flatum timet. Vnde longissime vitium hoc à virtute abest, maximaq; mentis & conscientiæ carnificina. Est enim timor sive metus passio animi omne terribile fugientis: vel molesta & a-
casus lib. cerba expectatio imminentis mali, omnisq; doloris admodum im-
patiens, cuius comites duo sunt diffidentia & desperatio.

mort. cap.

XXVII.

Ad nimium vergens, nimiumq; confidens δέλανθε Audax di-
gitur, qui quasi Bacho plenus, sine omni omnino consilio & inge-

mio



nio furit, sœvit, viribus & lacertis nimium confidens, in hostes ir-
ravit, sœpiissimeq; non sine sanguine temeritatis suæ persolvit pœ-
nas.

XXVIII.

Tria itaque opponuntur Fortitudini vitia, quæ tamen ad duo
reducuntur, Superabundantiam & defectum, cum sit habitus incli-
nans ad tuendum medium in audendo & timendo pericula mor-
tis.

XXIX.

Nec tamen absurdum est, quemadmodum docet Piccolomi- *De mor.*
neus, ut uni medio varia competant extrema; licet enim medium *grad. 4.*
hoc nomine sit unum; tamē ratione & materiâ rectè distinguitur; *cap. 29.*
unde & extrema distinguenda videntur.

XXX.

Et quod in hac facit virtute explicanda Aristoteles; præstare
etiam in alijs potuisset, nisi brevitatistudens, sat esse hoc monstrar-
se exemplo fortitudinis, putavisset.

XXXI.

Cæterum tres recensentur à Philosopho veræ fortitudinis affe- *3. eth. cap.*
ctiones. 1. quam & supra thesi 21. posuimus, est: quanquam circa 9. cont. 11.
fiducias, metusq; fortitudo versatur, tamen non simili modo circa
utrumque; sed magis circa res formidolosas versatur. Qui namq;
in his non turbatur, atque se habet circa has ut oportet; magis est
Fortis, quam is, qui circa ea, in quibus confidit, se habet ut opor-
tet.

XXXII.

2. In ipsa Forti operatione dolores sentiuntur: Nam circa ea *Cont. 112.*
occupata rectè dicitur Fortitudo, quibus Fortes viri laudantur. At-
qui laudantur quod forti & præsenti animo perferant dolores &
sustineant. Ergo &c.


XXXIII.

3. Et quoq; Fortitudo circa jucunditatem & voluptatem, si fi- *Cont. 113.*
nem spectes: Qui enim per fortitudinem agunt, illis Finis jucun-
dus & exoptatus est,

XXXIV.

Hic dubium movet Philosophus, quid nempe de Militibus vul- *Cont. 114.*
garibus censendum sit, si tantum illi, quibus virtus curæ est, fortes
sint censendi. Sed responder: quia pro exigua mercede vitam suā
exponant venalem, non fortes esse habendos, cum Vir fortis non
nisi honestatis causa mortem subeat: sufficere autem, si sint robusti
& pugnaces.

Quibus



3. Eth.
Cont. 100.

3. offic.

XXXV.

Quibus ita explicatis, facile colligitur, illos quoq; non fortis dicendos nedū habendos esse, qui sibi ipsis violentas manus inferrunt, cum id non honestatis; sed mali alicujus imminentis causa, quod animo perferre nequeunt faciant: Cum itaque Fortitudo sit dolorū laborumq; contemtrix juxta Ciceronem. Ergo non erunt hi fortis censendi.

XXXVI.

Quin imo sibi mortem consciscere, est naturam ipsam confondere, recte inquit Casus, est civitatē offendere, est leges violare, est ignominiam hominis posteritati relinquere, est demum (qui vitam dedit) ad celerem vindictam excitare.

XXXVII.

De verā Fortitudine haec tenet: eum itaq; quędam dentur Fortitudinis imitationes, quae quidem Fortitudinis nomine veniunt, revera tamen non sunt; operæ premium se facturum existimat Philosophus, si adulterinas has, ne forsitan simia quadam specie incautos fallerent, explicaret.

XXXVIII.

Numerantur autem quinque Fortitudinis apparentis species, quarum prima est civilis, quae maximè Fortitudini veræ similis videtur, & conspicitur in civibus, qui maxima subeunt pericula; ut honores consequantur, aut etiam infamiam, pænasvè fugiant. Vera autem Fortitudo non est: Fortis enim opus Fortitudinis primo & principaliter aggreditur tantum propter honestatem: sive itaq; Cont. 102. honor sequatur, sive non, quia illum non respicit, floccifacit: eodem planè modo de pœnis cendum.

XXXIX.

Secunda species adulterinæ Fortitudinis est, quando aliquos experientia rei militaris efficit animosos. Hi autem vere fortis nō dicuntur. Nam non infreenter periculo imminentे & crescente, quod illi, ut experti citius alijs animadvertant, omnium primi fugiunt.

XL.

Declarat hoc Philosophus exemplo: Cum Duce Phoreo Athenienses Caroniā oppidum Beotiae apud Hermeum (est locus in Euboja ab Herme ita dictus; fuit enim Mercurio consecratus) ob-
audiuOsiderent,

siderent, arcemq; proditione cepissent, occubuit Charon, dux Thebanorum, in obsessorum auxilium missus: quo animadverso, milites summam Fortitudinem, pugnandiq; ardorem, vivente adhuc Duce, præ se ferentes, terga dantes, se in fugam effuderunt. Cives vero horumq; copiae turpe existimantes, patriâ relictâ, fugam capessere, perseverantes itaq; animo constanti & forti in isto prælio omnes penè maximâ internecione periēre.

X L I.

Tertia species apparentis Fortitudinis est, quam gignit dolor, *Cont. 105.* ira & indignatio. Quod autem hæc sit adulterina fortitudo probatur: Fortitudo vera dicitur, quâ vir fortis agit propter honestatem secundum rectæ rationis præscriptum. Atqui de Fortitudine per iram hoc non dicetur. Ergo &c. Imo si Fortitudo ex ira esset virtus, tum animalia bruta, imo ipfissimus asinus, cum esurit, fortis esset, non enim à pabulo verberibus dimovetur: Nec non adulteri, qui propter libidinem multa audent.

X L I I.

Quarta species est, quando audaces spes victoriæ efficit milites: *Cont. 107.* Convenit hæc fortitudo cum verâ quatenus ambæ confidunt: differunt: Fortes enim fortia aggrediuntur & confidunt ob honestatē consequendam & turpitudinem fugiendam: hac vero prædicti tantum tenentur spe, se futuros superiores & nihil passuros.

X L I I I.

Tandem qui audaces sunt propterea quod periculi magnitudinem ignorent, minime fortes habendi sunt: Fortitudo enim in tribus potissimum consistit, in cognitione, electione & fine: quorum nullum participare talis audacia videtur. Deinde illi nihil omnino habent, quo periculum sustineant, unde experti rem aliter se habere, quam forsan putaverant, ab inermibus pedibus auxilium petunt, Atq; hæc de Fortitudine dicta breviter sufficiant.

F I N I S.



AD ORNATISSIMUM
DOCTISSIMUM IUVENEM REIME-
rum Ligarium Frysiun, amicum & popularem
suum optimum.

EPIGRAMMA.

DVLce solum patriæ linquis, memorande **LIGARI,**
Denuo, & ad cœtus Pieridum properas.
Disseris ac discis virtutem. Ac qualiter urbem
Moribus instructam convenit esse bonis,
Vtilibus rectum, lucro præponere justum,
Suades nervosi dexterite styli.
Vt fortis laudem validis venetur in armis,
Qui cessisse semel dedecus esse putat,
Propositum studium REIMERE fideliter urge,
Præclari patris degener haud Soboles.
Evigilet tua Musa, suas atq[ue] exerat artes,
Est qui te potis est nempē beare Deus.
Pieridum columnen præsit tibi sanctus Apollo,
Evehat & studium dum rotat astra polus.
Reimerus Reimeri Junior
Frysius.

ALLEG.

HOc erat in votis genitoris, cernere natos
Sectari laudum præmia posse suos.
Quem, qua mente parens, ut summus Episcopus urbes
Frysiacas, verbo pascat oyante, latet;

Unus

Unus is assertor veræ est ibi Religionis,
Insultus contra, Dipnosophista, tuos.
Clara patris clari sequitur vestigia nisu
Laudando, ac opera natus uterq; pia.
Alter enim parili statione Femarica templa
Sermonis complet semine salvifici.
Et, REIMERE, tuos, quæ Balthica littora spectat,
Vidit conatus ingeniumque schola.
Nunc iterum Albiaco vis commendare Lycaeο
Ingenij claras luxuriantis opes.
Maecte animo, studiumque tuum conamine fausto
Perge probare Deo, perge probare patri.

Auctor Lindius Bruns.
commensalis F.

A L I U D.

Cessat ager domino solitos producere fructus,
Quando laboriferi vomeris usus abest:
Non planè ingeny ratio est diversa sagacis,
Deme huic culturam, prorsus erit sterile.
Ergo exercenda est animi vis atq; facultas
Omnis, & ingenti robore queret opes,
Dona dedere tibi, superi præstantia mentis
REIMERE, o patriæ flos per amœne tuæ,
Hæc indefessis studijs cum gnaviter urges,
Quis dubitet clarum te fore & inde virum?

Theodorus Henrici Frysius.

Erste Seite eines handschriftlichen
Werkes mit lateinischen und
deutschen Texten.

Ein handschriftlicher Brief mit
lateinischen und deutschen Texten.

Ein handschriftlicher Brief mit
lateinischen und deutschen Texten.

Ein handschriftlicher Brief mit
lateinischen und deutschen Texten.

Ein handschriftlicher Brief mit
lateinischen und deutschen Texten.

A. I. II. D.

Ein handschriftlicher Brief mit
lateinischen und deutschen Texten.

99 365



Nur für den Lesesaal





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-128024-p0016-5

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISPUTATIO
ETHICA
**DE FORTITV.
DINE,**
EX TERTIO ETHICORVM
ad Nicomachum potissimum de-
prompta
&
IN FLORENTISSI-
MO ACADEMIÆ WITEBER-
gensis Lycæo examini publico pro-
posita, præside

*M. IACOBO MARTINI
Halberst. Sax.
respondente
REIMERO LIGARIO
Fryslø.*

*Habebitnr ad diem 6. Sept. in auditorio majore collegij no-
vi, horâ sexta matutinâ.*

VVITTEBERGAE,
Typis M. Georgij Mullerj. M.D. XCV.

